AUTHOR:

SCHMIDT, LEOPOLD

TITLE:

DE TRACTANDAE SYNTAXIS GRAECAE...

PLACE:

MARBURGI

DATE:

[1870]

Master Negative #

92-80541-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schmidt, Leopold, 1824-1892.
...De tractandae syntaxis Graecae ratione commentatio. Marburgi, typis academicis N. G. Elwerti, [1870].
xv p. 27 cm.

At head of title: Indices lectionum...quae in Academia Marburgensi...1870 habendae proponuntur. Praemissa est Leopoldi Schmidtii...

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m REDUCTION RATIO: 13X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/7/92 INITIALS RD

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

INDICES
LECTIONUM
ET
PUBLICARUM ET PRIVATARUM
QUAE IN
ACADEMIA MARBURGENSI
PER
SEMESTRE AESTIVUM
INDE A D. XXV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI MDCCCLXX

HABENDAE PROPONUNTUR.

Praemissa est *Leopoldi Schmidtii* de tractandae syntaxis graecae ratione commentatio.

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS N. G. ELWERTI.

ACADEMIAE MARBURGENSIS
RECTOR CUM SENATU
COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS
S. P. D.

Quae nuper ante indices lectionum semestris hiberni MDCCCLXVIII—LXVIIII de omissa apud optativum et coniunctivum ἄν particula disputaveram, ea gravem oppugnatorem nacta sunt Francogallum doctissimum, Carolum Thurotium, qui in censura illius commentationis (*Revue critique d'histoire et de littérature MDCCCLXVIIII, Nr. 24, p. 371—374*) modo non omnibus sententiis a me propositis contradixit. Nec sententiis solum singulis contradixit, sed totum illud genus disputandi tamquam futile vituperavit, quo in cognatarum structurarum in veteribus linguis distinctiones inquiritur: cui rationi ut maiorem auctoritatem vindicaret, ad Madvigium provocavit, qui in animadversionibus de nonnullis locis systematis grammaticae latinae p. 60—64 haud pauca eorum reiecit, quibus synonymas structuras in lingua latina exstantes viri docti sibi visi erant discriminare posse. Atque ut recte de latina lingua statuerit Madvigius, quod nunc non diiudico, nullo tamen modo illius ratio ad graecam transferri potest, cum cuius singulari indole summa in distinguendo subtilitas artissime coniuncta est. Quae quidem quantopere ipsi graecae nationis ingenio a primis inde originibus insita fuerit, facile unicuique paullo accuratius inspicienti patebit. Graecis enim quaecunque maxime peculiaria erant, ea inde fere fluebant, quod natura eos ad acute discriminandum pronos reddiderat. Hinc laetissima illa copia divinorum numinum, quibus Homeri Olympus repletur et quorum unumquodque suis propriis rationibus suaque specie a reliquis discernitur; hinc poetarum humanae naturae infinitam varietatem mirifice depingentium ars prorsus singularis; hinc illa oculorum acies, qua figurae, motus, affectus per pictores et statuarios exprimebantur, expressa a spectantibus percipiebantur; hinc illud aurium fastidium, quo scenae atticae spectatores ut versus minus eleganter conformatos ita singulas voces ab histrionibus incaute pronuntiatas respuebant; hinc ipsorum philosophorum in disputando acumen et in seiungendis diversorum systematum placitis sollertia. Quid? quod ea aetate, qua in Graecorum locum nepotes avis ceteroquin satis dissimiles successerant, illi quoque eandem ingeniorum subtilitatem ad christianae religionis dogmata transferebant eaque ita rectissime sibi excolere posse videbantur, ut minutissimas notionum divisiones ad ea adhiberent.

Quocirca permirum foret, nisi idem distinguendi studium apud Graecos in eo quoque cerneretur, quod tamquam primum peculiaris indolis documentum unaquaeque natio progignit et a cuius proventu ipsa demum originem capere videtur, linguae dico rationem. Atque quod ad cultioris attici sermonis aetatem attinet, satis constat quantopere ad eum expoliendum id ipsum contulerit, quod primi eius auctores Prodici Cei vestigia prementes verborum significationes scrutari inque eorum delectu summam curam ponere consueverunt, ut vel propterea ne particularum quidem vim et syntacticarum structurarum discrimina atticorum scriptorum attentionem effugisse consentaneum sit, id quod Platonis potissimum usu confirmatur. Atqui in maximo profecto errore versaretur, si quis illa demum aetate per artem et doctrinam eo pervenisse Graecos contenderet, ut maioris aliquid subtilitatis in his rebus ponerent, quoniam huic cognata animorum condicio iam in ipsa graecae linguae indole cognoscitur, quae ut per longam saeculorum seriem obtinebat ita a primis inde incunabulis exstabat. Nam singulae quidem formae singulaeque structurae secundum diversitates temporum stirpiumque multiplices mutationes subierunt: at totum illud systema divisionum syntacticarum, quod graecae linguae cum nulla alia est commune, omnes aetates quasi quodam unitatis vinculo coniungit atque illam Graecitatis tamquam proprietatem efficit haud dissimilem eis lineamentis, quae in senili corpore haud secus cernuntur atque olim in puerili comparebant. Hoc autem quod dixi systema manifestissimum indicium est mentium in distinctionum varietate in primis defixarum, quia, quantum quidem ad verborum rationes spectat, cognatas linguas ac maxime latinam graeca ita fere superat, ut in quovis genere unam formam exhibeat, quae in reliquis aut numquam exstitit aut mox defecit. Ita cum in temporum significatione perfectae et infectae actionis discrimen compluribus linguis sit communis, sola graeca eis tamquam mediam interponit *ἀόριστον*, quae singulari quadam cogitandi celeritate utramque ita coniungit, ut loquenti audientique idem actus simul et decurrens et perfectus obversetur: nam linguae sanscritae aoristus qui a grammaticis vocatus est narrationis tantum tempus esse videtur (cf. *G. Curtius, die Bildung der Tempora und Modi im Griechischen und Lateinischen S. 148*). Eodem illud pertinet, quod praeter indicativum, imperativum et optativum — nam Romanorum coniunctivus qui vocatur pariter ut Indorum potentialis Graecorum optativo plane respondet — graeca lingua modum satis singularem habet coniunctivum, cui in reliquis eiusdem originis linguis nihil cognatum est nisi vedicae dialecto proprium *lêt*, quod in posteriore sermone sanscrito evanuit. Quodsi verbum graecum genera quae appellari solent ita tripertita habet, ut aut activum aut passivum aut medium sit, id commune quidem ei est cum indico, sed tamen ut eo luculentius inde peculiaris illa Hellenismi indoles cognoscatur: graeca enim lingua quamquam inopia terminationum, quae ex antiquissima indogermanica fluxerant, ita premebatur, ut medium a passivo externa specie ubique distinguere nequiret, significationum tamen discrimina tenuit atque eo progressa est, ut in futuro saltem et aoristo vel formis minus idoneis ad exprimendum passivum uteretur. Quae res si quae alia documento est ad linguae conformationem

internum animorum impetum e nationis ingenio manantem paullo plus valere quam terminationum aliarumve specierum grammaticarum numerum, quem accepit potius quam ipsa excoluit. Atque hoc ipso exemplo egregie evincitur quam falsa sit eorum ratio, qui significationis discrimina ibi tantum agnoscunt, ubi formae inter se differunt: in qua opinione nescio an nemo ulterius progressus sit quam Augustus Haackius, qui in libello Nordhusae anno MDCCCLII. emisso et sic inscripto: *Der Gebrauch der Genera des griechischen Verbums* passivum a medio omnino non diversum esse, eam autem verbi formam, quam pro passivi aoristo habere homines consueverunt, propter terminationem activo potius ascribendam esse contendit. Scilicet et activum et passivum ad obiectum atque ad subiectum actionis pariter referri posse, discrimen autem in eo tantum positum esse, quod passivum vel medium actum verbi sive aliena voluntate sive externa aliqua condicione adiuvante fieri significet, id quod non cadat in activum. Quod quidem placitum multi fortasse erunt qui rideant: atqui reputari debet in simillimo errore omnes eos versari, qui linguam ita rectissime intellegere posse sibi videntur, ut in solis formis intenti maneant earumque usum per saeculorum decursum prosequantur, vim ingenii, unde illae animam et quasi vitam duxerunt, parum curantes.

Sed redimus unde digressi sumus. Linguae graecae indolem magnam partem ex illa in distinguendo subtilitate genti propria pendere vidimus: quo fit, ut eam nemo recte intellecturus sit nisi qui hanc usquequaque respiciat. Quocirca in eo prorsus recte egit Godofredus Hermannus, quod observatione eorum, quae in superstite litteratura vel reperiuntur vel non reperiri videntur, haud contentus in internas sermonis rationes penetrare atque pro singulorum locorum diversitate cur hic aliam illic aliam structuram scriptores praetulissent indagare studebat: verum propterea haud raro minus feliciter rem gessit, quod nimis omnia ad dialecticas leges exigere posse sibi videbatur. Itaque non modo grammaticum systema universum Kantianae doctrinae categoriis logicis superstruxit, subridicule nonnumquam quantitatis, qualitatis, relationis, modalitatis notiones ad definiendas partes orationis earumque varias formas adhibens, sed etiam cognatas structuras in Graecorum scriptis obvias saepe ita distinxit, ut delectus inter eas secundum dialecticam aliquam necessitatem institui debuisse videretur. Veluti quod, ut exemplum ex argumento a me nuper tractato delibem, *εἰ* cum coniunctivo copulatum et *ἤν* cum coniunctivo copulatum ita differre contendit, ut illud ad certam spem atque opinionem referretur futurum quid esse vel etiam, pro rei natura, non esse futurum, in ipsa re significata discrimen esse statuit, quod in sola dictionis gravitate erat ponendum: atque huic similia ei multa acciderunt. Eo enim principali errore tota eius ratio grammatica laborat, quod logicarum legum severitatem ad ea transferre studet, quae psychologicam potius explicationem requirunt: quo factum est ut haud raro in nimiam sagacitatem delapsus in structurarum delectu valuisse necessitatem contenderet, quae nulla erat. Verum enimvero non rectius quam ille, sed longe deterius agunt, qui subtiliora structurarum discrimina omnino non agnoscunt atque ubi plures simul admitti poterant, vel solum scriptoris arbitrium vel linguae

consuetudinem usquequaque regnasse opinantur. Immo magnam partem capiendae e Graecorum scriptis delectationis sibi ipse eripit, qui multiplicem illam dictionis varietatem in generum verbi, temporum, modorum, particularum usu conspicuam non attendit, qua tamquam pictura coloribus poetarum in primis oratio distinguitur: illa enim vel maxime concitati et tranquilli sermonis, irati et placidi animi, acris et remissae voluntatis vicissitudines exprimuntur. Qualia ut recte percipiantur, sensu quodam experientia exculto opus esse non est diffitendum: cum autem qui sibi paraverit, dulcissimo fructu non magis carebit quam iis qui veterum statuas contemplari inque earum lineas et figuras se insinuare consueverit.

Pauca ex ingenti multitudine exempla desumere satis erit. Veluti quod compluribus Homeri locis medium genus verbi *ὁρᾶν* pro activo adhibetur, velut Il. XXI, 390:

ἐγέλασσε δέ οἱ φίλον ἦτορ
γηθοσύνῃ, ὅθ' ὁρᾶτο θεοὺς ἔριδι ξυνιόντας

et Il. XXII, 169:

ὢ πόποι, ἦ φίλον ἄνδρα διωκόμενον περὶ τεῖχος
ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι, ἐμὸν δ' ὀλοφύρεται ἦτορ
Ἕκτορος,

id certe multi erunt qui solo metro cogente factum putent: qui vero illo linguae sensu altius sese imbuerit, ei non poterit dubium esse quin coniunctum cum videndi actu animi motum illic laetum hic tristem exprimat. Manifestius etiam illud est, quod in vetandi formulis observare licet, in quibus aoristi coniunctivus aut severe interdicentis et modo non minantis aut cum affectu metuentis est, praesentis autem imperativus lenius dehortantis. Atque ut coniunctivi aoristi vis fortasse maxime sentitur in loco Herodoti I, 212, ubi Tomyris Cyrum sic compellat: *ἄπληστε αἵματος Κῦρε, μηδὲν ἐπαερθῇς τῷ γεγονότι τῷδε πρήγματι*, ita luculentius etiam apparet, si duo loci Homerici inter se comparantur, quorum unus et ipse coniunctivum aoristi, alter ceteroquin simillimus imperativum praesentis exhibet. Scilicet Od. XI, 251 Neptunus Tyro Nympham a se compressam sic compellat:

νῦν δ' ἔρχευ πρὸς δῶμα, καὶ ἴσχεο, μηδ' ὀνομήνῃς,

quod prope a minatione abest: at unusquisque sentit quanto suaviora et placidiora illa verba sint, quibus in hymno in Venerem v. 290 Anchises, cum quo Venus rem habuerat, ab ea commonetur:

ἴσχεο, μηδ' ὀνόμαινε, θεῶν δ' ἐποπίζεο μῆνιν.

Haud dissimile discrimen inter metuentis affectum et placide dehortantis tranquillitatem animadvertet, qui inter se contulerit Odysseae locos l. XV, v. 263:

εἰπέ μοι εἰρομένῳ νημερτέα, μηδ' ἐπικεύσῃς

et l. XVI, v. 168:

ἤδη νῦν σῷ παιδὶ ἔπος φάο μηδ' ἐπίκευθε.

Ceterum ne illud quidem praetervideri debet, inter coniunctivi aoristi acrimoniam et

imperativi praesentis suavitatem medium quoddam genus interesse, quod quamquam rarius adhibetur tamen ab usu non prorsus abhorret: nempe aoristi imperativus ut a coniunctivi vehementia recedit ita quandam leniter urgendi vim retinet, praesentis autem coniunctivus mitigatum quendam et quodammodo refrenatum impetum exprimit. Itaque quod in Iliade l. XVIII, v. 134 Thetis Achillem sic hortatur:

ἀλλὰ σὺ μὲν μήπω καταδύσεο μῶλον Ἄρηος,
πρίν γ' ἐμὲ δεῦρ' ἐλθοῦσαν ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἴδηαι,

id ita dictum est ut non tam imperare quam precari dea videatur, sed instanter precari, nec diversa ab hac est Ulyssis ad senem Laertem data rogatio in Odyssea l. XXIV, v. 248:

ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δὲ μὴ χόλον ἔνθεο θυμῷ.

Quod contra animum ad minandum pronum compescit Achilles, cum Priamum admonens haec dicit Il. XXIV, 568:

τῷ νῦν μή μοι μᾶλλον ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀρίνῃς.

Ac nescio an quattuor formarum discrimina germanica versione ita significari possint, ut *μηδ' ὀνομήνῃς* circumscribatur per *dass du es ja nicht sagst*, *μήπω καταδύσεο* per *versenke dich ja noch nicht*, *μὴ ὀρίνῃς* per *dass du mir nur nicht erregst*, *μηδ' ὀνόμαινε* per *sage es nur nicht.* Nec nimis diversum illud est, quod in Platonis dialogis, ac potissimum quidem in Convivio, saepenumero praesentis et aoristi imperativos sine magno discrimine adhibitos, sed ita tamen distinctos videmus, ut ille paullo remissioris, hic paullo vividioris imperii sit indicium (cf. Molleri disputationem in Philologo t. VI, p. 126—130). Omnino autem satis constat modorum praesentis et aoristi discrimen non solum ab Apollonio Dyscolo, sed iam ab ipso Aristarcho (cf. Aristonici *περὶ σημ. Ἰλ.* rell. ed. Friedländer p. 4. 5) observatum quam late pateat quantumque ad graeci sermonis in exprimendis sententiis elegantiam conferat. Quod discrimen quam firme hominum mentibus insederit fortasse nulla re luculentius demonstratur quam loco Platonis Legg. l. VIII, p. 849 a: *τῶν δὲ ἐν ἄστει κατὰ τὰ αὐτὰ ἐπιμεληθῆναι καὶ ἐπιμελεῖσθαι τὴν τῶν ἀστυνόμων ἀρχήν*, id quod scribi omnino non potuisset, nisi legentium quisque sensisset quid inter *ἐπιμεληθῆναι* et *ἐπιμελεῖσθαι* differret. Nec magis perfecti et imperfecti discrimen teretes Atheniensium aures fugisse apertissime testantur Aeschinis verba in oratione de falsa legatione § 100: *ἐπορεύετο δὲ λυσόμενος τοὺς αἰχμαλώτους, ὡς ἔφη καὶ πρὸς ὑμᾶς ἀρτίως εἴρηκεν*: quae obscurissima forent, nisi audientes ultro intellexissent *εἴρηκεν* ad ea referri quae recenti ipsorum memoriae tamquam adhuc praesentia infixa erant. Inter perfecti et aoristi indicativum quid intersit in primis cognoscitur ex Isocratis loco in oratione de pace § 19: *ὁ μὲν τοίνυν πόλεμος ἁπάντων ἡμᾶς τῶν εἰρημένων ἀπεστέρηκεν· καὶ γὰρ πενεστέρους πεποίηκε καὶ πολλοὺς κινδύνους ὑπομένειν ἠνάγκασε, καὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας διαβέβληκε, καὶ πάντας τρόπους τεταλαιπώρηκεν ἡμᾶς*: aoristus enim *ἠνάγκασε* rem indicat suo tempore factam, cuius in praesentia nullus iam effectus cernitur, id quod contra est in perfectis *πεποίηκε, διαβέβληκε, τεταλαιπώρηκεν.* Quid? quod etiam in adiecta passim praeter exspectationem vel omissa *ἄν* particula consilium scripto-

rum facile agnoscitur. Veluti quod in oratione de corona § 101 secundum optimorum codicum Σ et Laurentiani S auctoritatem Demosthenes repetita praeter consuetudinem in condicionali sententia particula dixit: *καὶ τίς οὐκ ἂν ἀπέκτεινέ με δικαίως, εἴ τι τῶν ὑπαρχόντων τῇ πόλει καλῶν λόγῳ μόνον ἐπεχείρησ' ἄν;* id haud dubie ideo fecit, ut a rei veritate illud quod pro condicione sumpsit longe abesse fortissima significatione pronuntiaret. Contra, id quod iam in priore commentatione p. 8 indicavi, Andocides ut vividius ea coram audientium animis poneret quae eventura forent, si de rebus a se compertis tacuisset, in oratione de mysteriis §. 58. 59 quodammodo poetam agens omisso *ἂν* ea tamquam vere facta enarravit: *ὅπου δὲ τούτων τὸ ἐναντιώτατον ἦν, σιωπήσαντι μὲν αὐτῷ τε αἴσχιστα ἀπολέσθαι μηδὲν ἀσεβήσαντι, ἔτι δὲ τὸν πατέρα περιιδεῖν ἀπολόμενον καὶ τὸν κηδεστὴν καὶ τοὺς συγγενεῖς καὶ ἀνεψιοὺς τοσούτους, οὓς οὐδεὶς ἀπώλλυεν ἢ ἐγὼ μὴ εἰπὼν ὡς ἕτεροι ἥμαρτον...... φονεὺς οὖν αὐτῶν ἐγιγνόμην ἐγὼ μὴ εἰπὼν ὑμῖν ἃ ἤκουσα· ἔτι δὲ τριακοσίους Ἀθηναίων ἀπώλλυον, καὶ ἡ πόλις ἐν κακοῖς τοῖς μεγίστοις ἐγίγνετο· ταῦτα μὲν οὖν ἦν ἐμοῦ μὴ εἰπόντος κτλ.*

Tanta apud Graecos cum fuerit in adhibendis structuris scribentium sollertia et in percipiendis audientium legentiumque elegantia, non nimium fortasse a vero aberrabit, qui ultra haec manifestiora paullulum progressus etiam ibi levia quaedam discrimina agnoscet, ubi vel parum exercitato vel obiter intuenti nulla esse videntur. Id quod maxime in usum aoristi participiorum cadit, inter quorum significationem et eam quae vel perfecti vel praesentis participiis est propria haud raro prima specie nihil interest, sed tamen ut accuratius rem perscrutanti delectus quidam non sine arte institutus appareat. In quo genere primum illud commemorare liceat, quod acutissimo iudicio Classenius (*Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch S. 57*) exposuit, defunctos apud Homerum propterea tam saepe participiis *θανόντες* et *καμόντες* appellari, quia non tam de eorum statu apud inferos quam de praeterito mortis momento cogitetur, *τεθνηῶτας* autem ita dici, ut magis sive corporum sive in Orco exstantium animarum condicio significetur: attamen similia apud atticos quoque scriptores passim animadvertere licet. Atque in universum sponte intellegitur in perfecti participio, ut quod simul cum re acta eius effectum denotet, longe ponderosius quid inesse quam in participio aoristi utpote ad solum actus momentum spectante: quo fit ut huic ipsi nescio quae facilis elegantia insit attico sermoni in primis conveniens. Nonnumquam vero utriusque formae coniunctio variandae orationi haud mediocriter inservit. Veluti quod in oratione contra Ctesiphontem §. 203 Aeschines scripsit: *ἔπειτα τὸν ῥήτορα ἐξήλεγξα γράψαντα Δημοσθένην ὑπεύθυνον ὄντα στεφανοῦν οὐδὲν προβαλόμενον οὐδὲ προσεγγράψαντα ἐπειδὰν δῷ τὰς εὐθύνας, ἀλλὰ παντελῶς καὶ ὑμῶν καὶ τῶν νόμων καταπεφρονηκότα*, in eo ab aoristis *γράψαντα, προβαλόμενον, προσεγγράψαντα* ad perfectum *καταπεφρονηκότα* non sine consilio transitum fecit: scilicet ut exprobratus adversario et civium et legum contemptus animis audientium magis quam reliqua insideret, hunc tamquam rem commemoravit, cuius effectus adhuc conspicuus esset. Neque illius discriminis sensu eum caruisse apparet qui orationem contra Theocrinem

genuinis Demostheneis ceteroquin elegantia longe inferiorem composuit, in cuius paragrapho quinquagesima prima haec verba leguntur: *Τί οὖν οὐκ ἀγραφίου με, φήσει, γράφῃ τὸν ὀφείλοντα καὶ μὴ ἐγγεγραμμένον; ὅτι ὁ νόμος οὐ κατὰ τῶν ὀφειλόντων καὶ μὴ ἐγγραφέντων κελεύει τὰς γραφὰς τοῦ ἀγραφίου εἶναι, ἀλλ' οἵτινες ἂν ἐγγραφέντες καὶ μὴ ἐκτίσαντες τῇ πόλει τὸ ὄφλημα ἐξαλειφθῶσιν.* Nimirum *μὴ ἐγγεγραμμένοι* tales cogitantur, quorum nomina in publicorum debitorum indicibus ita desiderantur ut propterea accusationem subire possint, *μὴ ἐγγραφέντες* ei sunt quorum nomina casu potius non sunt illata neque ut inde ulterius quidquam consequatur, *ἐγγραφέντες* autem rectissime ei appellantur quorum nomina prius inscripta postea deleta sunt necdum in indicibus exstant. Simile quid Dinarchus captavit, cum in oratione adversus Demosthenem §. 29 haec scriberet: *μηδὲ τῆς ἀγαθῆς τύχης ὑμᾶς ἐπὶ τὸ βέλτιον ἀγούσης, καὶ τὸν μὲν ἕτερον τῶν τὴν πατρίδα λελυμασμένων ἐκ τῆς πόλεως ἐκβεβληκυίας, τοῦτον δ' ὑμῖν ἀποκτεῖναι παραδούσης*: Philocrates enim revera profugus est Athenis, Demosthenem autem adhuc ambiguum est num cives occisuri sint, quorum illud participio perfecti, hoc participio aoristi indicatur. Magis e vitandae intolerabilis molestiae studio illud explicandum videtur, quod in oratione contra Philoclem §. 1. 2 idem Dinarchus sic dictionem variavit: *Τί χρὴ λέγειν πρὸς τῶν θεῶν περὶ τοιούτου ἀνθρώπου, ἢ πῶς χρήσεσθε τῇ τούτου πονηρίᾳ, ὃς οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ τρὶς ἐξεληλεγμένος ὑπὸ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ὡς ὑμεῖς ἅπαντες ἴστε καὶ νῦν ἐν τῷ δήμῳ ἠκούετε, καὶ ἐψευσμένος ἁπάντων Ἀθηναίων ἐναντίον καὶ τῶν περιεστηκότων, φάσκων κωλύσειν Ἅρπαλον εἰς τὸν Πειραιᾶ καταπλεῦσαι, στρατηγὸς ὑφ' ὑμῶν ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν καὶ τὰ νεώρια κεχειροτονημένος, καὶ δῶρα τολμήσας λαβεῖν κατὰ πάντων ὑμῶν καὶ τῆς χώρας καὶ παίδων καὶ γυναικῶν, καὶ ἐπιωρκηκὼς ὃν ὤμοσεν ὅρκον μεταξὺ τοῦ ἕδους καὶ τῆς τραπέζης, καὶ γράψας καθ' ἑαυτοῦ ψήφισμα, καὶ θανάτου τιμησάμενος ἐὰν εἰλήφῃ τι τῶν χρημάτων ὧν Ἅρπαλος εἰς τὴν χώραν ἐκόμισεν, ὅμως ἐτόλμησεν κτλ.*: in quibus tamen praeter verbum *χειροτονεῖν*, unde certa Philoclis condicio fluxit, ea fere verba participii perfecti formam assumpsisse videntur, quae potissimum ad iram homini conflandam valent, ut propterea hic locus cum Aeschineo qui antea tractabatur comparari possit. Pariter Demosthenes in verbis Midianae orationis §. 192: *ὁ γὰρ τὰ ἔργα παρεσχηκὼς δικαιότατ' ἂν ταύτην ἔχοι τὴν αἰτίαν, οὐχ ὁ ἐσκεμμένος οὐδ' ὁ μεριμνήσας τὰ δίκαια λέγειν νῦν* participii perfecti repetitionem idcirco mea sententia vitavit, ne molestius illud inculcare velle auditoribus videretur, se non domi modo meditatum esse, sed nunc ipsum bene praeparatum in iudicio loqui. Idem facilitatis studium a Platone non alienum fuisse prae aliis cognoscitur e locis Rep. l. X, p. 615 b: *καὶ οἷον εἴ τινες πολλῶν θανάτων ἦσαν αἴτιοι, ἢ πόλεις προδόντες ἢ στρατόπεδα καὶ εἰς δουλείας ἐμβεβληκότες, ἤ τινος ἄλλης κακουχίας μεταίτιοι, πάντων τούτων δεκαπλασίας ἀλγηδόνας ὑπὲρ ἑκάστου κομίσαιντο, καὶ αὖ εἴ τινας εὐεργεσίας εὐεργετηκότες καὶ δίκαιοι καὶ ὅσιοι γεγονότες εἶεν, κατὰ ταὐτὰ τὴν ἀξίαν κομίζοιντο* et p. 615 c: *ὁ δὲ Ἀρδιαῖος οὗτος τῆς Παμφυλίας ἔν τινι πόλει τύραννος ἐγεγόνει.... γέροντά τε πατέρα ἀποκτείνας καὶ πρεσβύτερον ἀδελφόν, καὶ ἄλλα δὴ πολλά τε καὶ ἀνόσια*

εἰργασμένος, ὡς ἐλέγετο: quamquam ne in his quidem paullo maior manentis effectus significatio a perfecti participiis abest. — Haud maiore discrimine quam a perfecti non raro a praesentis participio aoristi participium seiungitur, nec tamen ut apud bonos scriptores temere utrumque genus confundatur: quae quidem res iam saepius a viris doctis animadversa est (cf. *Herm. Schmidt, der griechische Aorist, Halle 1845, S. 21—25; Rieckher, über das Participium des griechischen Aorists, Heilbronn 1852; Pfuhl, die Bedeutung des Aoristus, Dresden 1867, S. 50—59*). Nimirum e singulari illa epicorum poetarum consuetudine, qua eorum quae narrant unum post alterum quam unum iuxta alterum factum tradere malebant, id quoque manavit quod, ubi duae actiones inter se conexae memorandae erant, eam quae alterius tamquam effectrix esse videbatur quasi tempore praecedentem illi sub participii aoristi forma adiungere solebant. Unde non solum dictiones Homericae quales sunt *ἀλγήσετε πῆμα παθόντες* et *σάωσε δὲ νυκτὶ καλύψας* (Il. V, 23) explicatum habent, sed cum eodem genere illud cohaeret quod et ea verba quibus aliquid sensibus percipi exprimitur et ea quae ad animi motum spectant et ea quae aliquam opinionem sive deliberationem designant utpote causam adiunctae actionis indicantia saepenumero in aoristi participio ponuntur. Ita fit ut participia *ἰδών*, *βλέψας*, *ἀκούσας*, *νοήσας* necnon *χολωσάμενος*, *ἐλπίσας*, *θαυμάσας*, *θαρσήσας* vel *πιθήσας*, *πιστεύσας*, *μνησάμενος*, *ἡγησάμενος* eisque similia tam crebro non solum in Homericis carminibus sed etiam apud atticos scriptores reperiantur: scilicet consuetudo apud epicos poetas orta latissime deinde per reliquam Graecitatem patebat, id quod non solum propter epicae dictionis imitationem factum videtur sed etiam cum universa graeci sermonis indole congruit, cuius ad distinguendum proclivitas etiam eo valebat ut res ante acta sive ante agi coepta ab insequenti tenuissimo temporis discrimine separaretur. A quo genere ne illud quidem alienum est quod verba risum et fletum significantia velut *γελᾶν*, *μειδιᾶν*, *δακρύειν* paullo saepius in aoristi quam in praesentis participio poni solent, quia nativa haec laetitiae dolorisve significatio fere prius incipit quam id quod quis laetitia sive dolore ductus vel dicit vel facit. Eodem id pertinet quod verba *λανθάνειν* et *φθάνειν*, quippe quae ad res non sensim observatas, sed sero et repente quidem animadversas spectent, plerumque cum participiis aoristi coniunguntur. Atqui hebetioris iam facti sensus indicium illud est, quod apud recentiores scriptores aoristi participium passim ibi adhibitum reperitur, ubi antiquiores haud dubie praesentis participio usi fuissent: id quod prae aliis et hoc Diodori exemplum demonstrat l. II, c. 13: *ἐν τούτῳ δὲ τῷ τόπῳ συχνὸν ἐνδιατρίψασα χρόνον καὶ πάντων τῶν εἰς τρυφὴν ἀνηκόντων ἀπολαύσασα, γῆμαι μὲν νομίμως οὐκ ἠθέλησεν . . . . ἐπιλεγομένη δὲ τῶν στρατιωτῶν τοὺς εὐπρεπείᾳ διαφέροντας τούτοις ἐμίσγετο* et hoc Plutarchi v. Thes. c. 14: *ὁ δὲ Θησεὺς . . . . χειρωσάμενος ἐπεδείξατο ζῶντα διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας, εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν*: qualia non recte mea sententia G. Hermannus (adnotat. ad Vig. 224) et Pfuhlius (l. c. p. 52) cum locis ex optima Graecitate petitis composuerunt.

Permirum autem foret, si ea quae ceteroquin graeco sermoni propria est subtilitas in particulae *ἄν* usu non obtineret, verum hanc in plurimis optativi et coniunctivi structuris antiquiores poetae non exceptis atticis sine omni discrimine vel addidissent vel omisissent. Ac maxime quidem omnem fidem illa multorum opinio superat, qua simplex optativus pro optativo cum *ἄν* coniuncto substitui posse putatur, quasi harum structurarum non essent satis diversae significationes. Nam optativum cum illa particula coniunctum vel pueri mediocriter eruditi sciunt modeste contendentis esse et ad indicativi vim prope accedere: simplex autem optativus nemo paullo doctior hodie dubitat quin ad ea spectet quae in sola cogitatione posita sunt neque cum realitate, quae nunc a philosophis vocatur, ullo vinculo continentur. Quae res tanta cum necessitate se offert, ut ipse etiam Godofredus Hermannus, qui subiectivam possibilitatem per optativum exprimi sibi persuaserat, in eam tamquam invitus semper inciderit: nam ubicunque de optativo egit, possibilia vocavit quae potius cogitabilia appellanda erant, maxime autem in censura libri Kuehneriani (*Ztschft. f. d. Altthswschft. MDCCCXXXVI. S. 908. 909*) eo confugit, ut optativum ea significare diceret quae utpote in sola imaginatione exstantia extra imaginationem nec vera nec non vera, i. e. possibilia essent. Etenim luce clarius est optativi usum et ubi fingendo et ubi optando inservit et ubi in enuntiatis pendentibus ab aliis olim cogitata exprimit usquequaque cum illa ratione convenire. Iam vero quod in enuntiatis affirmativis observatur, id non potest non in negativis quoque obtinere. Quocirca qui per optativum cum *ἄν* coniunctum aliquid negat, modeste et cum quadam dubitationis significatione negat, id quod non cadit in simplicem optativum, qui etiam ubi negando inservit necessario aliquo modo ad imaginationem spectat, neque quidquam refert utrum per particulam *οὐ* an adhibita interrogationis forma per pronomen *τίς* negetur. Atque ut negativae imaginationis, ut his vocabulis utar, plura fortasse genera cogitari possint, usus tamen linguae docet fortissime negantis optativum esse, quae res facillime inde explicatur, quod qui ita loquitur ab ipsa imaginatione rem alienam esse significat. Quocirca id satis mirari non possum quod Thurotius, optativi cum *ἄν* coniuncti vim quodammodo se ignorare simulans, fortiori negationi eum inservire contendit quam simplicem optativum: illius enim structurae significationem talem esse: 'Potestne quis quidquam imaginari improbabilius?' (*Peut-on imaginer rien de plus invraisemblable?*), huius autem talem: 'Imaginaturne quis quidquam improbabilius?' (*Imagine-t-on rien de plus invraisemblable?*). Quae quidem sententia quantum a rei veritate absit, facile intelleget qui locos Sophocleos OC 1166 (*τίς δῆτ' ἂν εἴη τήνδ' ὁ προσθακῶν ἕδραν;*), OC 1488 (*τί δ' ἂν θέλοις τὸ πιστὸν ἐμφῦναι φρενί;*), Trach. 1231 (*το δ' ὧδ' ὁρᾶν φρονοῦντα τίς ποτ' ἂν φέροι;*) cum simplicis optativi exemplis Antig. 604 (*τεάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασία κατάσχοι;*), Phil. 895 (*παπαῖ· τί δῆτα δρῷμ' ἐγὼ τοὐνθένδε γε;*), Aesch. Choeph. 594 (*ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι;*) comparaverit. Videtur autem Thurotius, cum ista scriberet, animum induxisse non tam frequentissimam particulae *ἄν* cum optativo coniunctionem in sententias negativas vel interrogativas receptam esse quam ad exstantem

in eiusmodi sententiis optativum particulam illam postmodo accessisse: quod et ipsum quivis videt minime credibile esse. Quod vero sic adiecto *ἄν* vim possibilitatis tribuit, id est eiusmodi ut de re universa haud paucorum sane sit assensum laturus, de singulari autem ratione qua eam hic adhibuit, ut puto, neminis: nam ei etiam qui particulam illam *δυνητικήν* esse existimant, id ita tamen accipi volunt ut simile quid ac latinum 'forte' vel graecum *πού* significet: a quo Thurotiana illa ratio est diversissima. Mihi quidem eiusmodi dictiones non secundum dialecticae artis severitatem sed secundum psychologiae varietatem definiendas videri supra significavi: quam rationem in eis quoque secutus sum, quae de particulae *ἄν* significatione nuper disputavi.

Iam vero quod apud Isaeum aliosque oratores atticos optativus cum *ἄν* copulatus haud raro in talibus quoque enuntiatis interrogativis a vocabulis *πῶς* vel *τίς* incipientibus reperitur, quae vividius quid spirant neque a forti negatione aliena videntur, id non ita explicandum est ut illa structura pro simplici optativo substituta cogitetur, verum cum eius usu universo cohaeret qualis apud Atticos invaluit. Etenim modestiore quod per illam fit affirmandi genere Athenienses mirifice delectabantur, scilicet per *εἰρωνείαν* quandam plenam contendendi fiduciam dissimulantes, eique adeo assueverunt ut nativa eius vis cursu temporis, ut fit, minus sentiretur neque nimium iam ipsa ab indicativo differre videretur. Ita accidit ut oratores, qui consuetudine detritas dictiones prae aliis amant, eam ut plenius quid sonantem in illis de quibus agitur sententiis interrogativis fere indicativi vice usurparent. Nec diffiteor me in priore commentatione locum Demosthenis de cor. §. 22: *εἶτ' ὦ-τί ἄν εἰπών σέ τις ὀρθῶς προσείποι:* paullo festinantius sic interpretatum esse ut *ἄν* cum participio *εἰπών* coniungerem, non quo optativi structuram ab oratorio genere necessario alienam iudicem, sed quia perquam dubium est num in eiusmodi enuntiatis illa particula cum participio coniungi possit. At nullam causam video cur in Platonicis quae nuper attuli exemplis (Gorg. 492 b; Euthyd. 286 b; Menon. 97 c) aptissimam optativi structuram delendam inque eius locum optativum cum *ἄν* copulatum substituendum putem: nam Platonis dicendi ratio longe magis variata magisque propria esse solet quam oratorum.

Ἄν particulae apud coniunctivum paullo difficiliorem esse explicationem quam apud optativum apparet: atqui illud persuasissimum habeo in tragicorum diverbiis inter simplicis coniunctivi et coniunctivi cum *ἄν* copulati structuras in enuntiatis relativis adhibitas nonnihil differre. Quicunque enim locos quales sunt Aesch. Sept. 257 (*Μοχθηρόν, ὥσπερ ἄνδρες, ὧν ἁλῷ πόλις*); Eum. 211 (*Τί γάρ; γυναικός, ἥτις ἄνδρα νοσφίσῃ;*); Sept. 818 (*ἕξουσι δ' ἣν λάβωσιν ἐν ταφῇ χθονός*) ceteraque simplicis coniunctivi exempla in priore commentatione p. 10. 11 a me congesta comparat, ei non potest dubium esse quin eorum talis sit ratio, ut sub generalis sententiae involucro certae sive personae sive res fere non sine acerbitate oblique tangantur. Egregie autem falsus est Thurotius, cum hanc opinionem verbis Aeschyleis Prom. 35: *ἅπας δὲ τραχύς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ* refelli contenderet, quia in eis quoque Iovis exemplum respiceretur: ibi enim tantum abest ut Iovem non

appellatum oblique tangere Vulcanus velit, ut potius, postquam de eo verbo fecit, idem quod in eo in unoquoque recens dominante observari affirmet eoque orationem dedita opera a re speciali ad universi generis ambitum traducat, quod genus dicendi non tam acerbitatis plenum est quam mitigando iudicio inservit. Nec minus in eo vir doctissimus erravit quod me solummodo mei placiti sustentandi causa in Euripidis versibus *Ὦ Ζεῦ, τί δὴ χρυσοῦ μέν, ὃς κίβδηλος ἦν, τεκμήρι' ἀνθρώποισιν ὤπασας σαφῆ* (Med. 516) coniunctivo *ᾖ* imperfectum *ἦν* ceteroquin minime aptum praetulisse dixit. Atqui quidquid de particulae *ἄν* apud coniunctivum omissione iudicatur, ipsa sententia relativa ad certam satisque definitam rem spectans hic coniunctivum respuit et cum quadam necessitate indicativum requirit, quia in nulla lingua facile quisquam sine singulari causa hoc dicturus foret: 'aurum, quodcunque adulterinum est'. Imperfectum autem, quod hic minus aptum Thurotius arbitratur, secundum notissimum illum usum ponitur, quo in enuntiatis secundariis narrationi additis saepenumero praesentis vices tenet, velut Od. III, 292: *Ἔνθα διατμήξας τὰς μὲν Κρήτῃ ἐπέλασσεν, Ἧχι Κύδωνες ἔναιον Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα.* VI, 86: *Αἳ δ' ὅτε δὴ ποταμοῖο ῥόον περικαλλέ' ἵκοντο, Ἔνθ' ἦ τοι πλυνοὶ ἦσαν ἐπηετανοί.* XIV, 353: *Ἔνθ' ἀναβάς, ὅθι τε δρίος ἦν πολυανθέος ὕλης, Κείμην πεπτηώς.* Xen. Anab. I, 4, 9: *Κῦρος ἐξελαύνει .... ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμόν, ὄντα τὸ εὖρος πλέθρου, πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς.* Il. V, 331: *ὁ δὲ Κύπριν ἐπῴχετο νηλέϊ χαλκῷ, Γιγνώσκων ὅτ' ἄναλκις ἔην θεός.* Ar. Ran. 811: *εἶτα τῷ σῷ δεσπότῃ Ἐπέτρεψαν, ὁτιὴ τῆς τέχνης ἔμπειρος ἦν.* Deinde a me prolatam interpretationem loci Thucydidei IV, 17, 2 impugnans vir doctissimus *ἄν* in secundo membro exstans in priore quoque intellegi posse negavit, oblitus, ut videtur, eiusmodi structuras *ἀπὸ κοινοῦ* in veterum linguis non nimis raras esse. Quid? quod passim vel negandi particula, quae in duorum membrorum utroque intellegi debet, solum in secundo ponitur, ut Pind. Pyth. X, 29 (*ναυσὶ δ' οὔτε πεζὸς ἰὼν ἂν εὕροις*); Aesch. Ag. 532 (*Πάρις γὰρ οὔτε συντελὴς πόλις Ἐξεύχεται τὸ δρᾶμα τοῦ πάθους πλέον*); Soph. Phil. 771 (*ἑκόντα μήτ' ἄκοντα*); Ar. Av. 694 (*γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ οὐδ' οὐρανὸς ἦν*); Theocr. epigr. VI, 6 (*ἀνίκα τήνας Ὀστίον οὐδὲ τέφρα λείπεται οἰχομένας*); Thuc. VIII, 99, 1 (*καὶ αἱ Φοίνισσαι νῆες οὐδὲ ὁ Τισσαφέρνης τέως που ἧκον*), quae res a Mehlhornio (Schematis *ἀπὸ κοινοῦ* ratio et usus quidam in graeca lingua p. 8 sqq.) paullo accuratius tractata suisque analogiis illustrata in hac quaestione eo magis adhiberi potest, quia quod ad collocationem attinet sat magna inter negandi particulas et *ἄν* particulam est similitudo (cf. *Bäumlein, Untersuchungen über die griechischen Modi und die Partikeln κέν und ἄν S. 369 fgg.*). Thucydidi autem hoc genus eo magis convenire videtur, quo plura in eius dictione insunt, quae ad poeticum sermonem propius accedunt: quamquam non omnino refrager, si quis cum Frohbergero (in Philologo vol. XIX, p. 603) similem structuram in Demosthenis quoque verbis c. Timocr. §. 7 agnoscat: *ἐγὼ δ', εἰ κατώρθωσεν ἐκεῖνος ἣν ἐπ' ἔμ' ἦλθεν ὁδόν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων ἀπεστερήμην, ἀλλ' οὐδ' ἂν ἔζην.* Deinde quod Thurotius inter locos *εἰ* cum coniunctivo et *ἤν* cum coniunctivo exhibentes

nihil differre dicit, id sane est eiusmodi ut nescio quo pacto e sensu pendeat: verum quicunque ad percipiendum dictionis delectum consuetudine aures acuerit, ei non poterit dubium esse quin ab eis locis, ubi εἰ positum reperitur, maior quidam animi affectus non sit alienus. Denique illud quoque vir doctissimus infitiatur, in exemplis ἄν frequentativi quod vocatur particulam propterea indicativo praeteriti additam esse, quia rei saepius factae memoria minus certa sit quam semel factae: verba enim saepius audita magis in mente se insculpere quam semel audita. Verum hic quidem non de eius, qui sive virtutis sive alicuius doctrinae praecepta ediscit, recordatione agitur, sed de narrantis memoria, quae eo certior est, quo firmior et simplicior rei narratae in animo infixa est imago: quodsi res saepius repetita narratur, complures species inter se valde similes nec tamen prorsus pares menti obversantur, quo fit ut memoria in varias partes distrahatur et quodammodo fluctuet. Ceterum non satis assequor, quo pacto Thurotius, siquidem id non concedit, secundum suam de particula ἄν opinionem, qua possibilitatis notionem in ea inesse vult, frequentativum hunc usum explicet.

Quamquam fortasse explicatione eius ne opus quidem esse censet, quia de explicandis rebus syntacticis omnino desperat. Nam in extrema disputatione ab accuratiore multarum formarum syntacticarum definitione abstinendum esse, immo ne coniunctivi quidem et optativi significationes primarias inveniri posse dicit, ita ut nihil supersit quam utriusque modi varios usus observare. Mira profecto sententia! Utinam in doctrina grammatica nulla res ad indagandum difficilior esset quam optativi et coniunctivi discrimen: modo quis illa definitionum adiumenta omittat, quae ex logicae disciplinae promptuariis petenda olim G. Hermannus putavit. Nimirum optativum apparet in imaginatione versari indeque varios eius usus ne eo quidem excepto fluxisse, qui ad sententias secundarias e temporibus praeteritis pendentes spectat, quia in his quoque ad ea refertur, quae olim vel meditantibus vel loquentibus vel agentibus obversabantur: coniunctivus autem quid valeat, e declinationis forma apertissime cognoscitur. Scilicet cum coniunctivus ad exemplum eius modi vedicae dialecti, qui ab indicis grammaticis *lêt* appellatur, ab indicativo eo differat, quod longius productam habet terminationis vocalem, intellegitur eum indicativo ita cognatum esse, ut simul tamen aliquid lentae haesitationis accedat: quo fit ut exspectantis et in futurum eventum intenti animi sit indicium. Omnino autem inter quattuor verbi graeci modos finitos haec ratio intercedit, ut realitatis quae a philosophis dicitur significationi indicativus, imaginationis optativus inserviat, reliqui autem duo medium quendam inter illos locum teneant: quorum quidem imperativus rem cogitatam ad effectum adduci iubet, coniunctivus mentem in ea ad effectum adducenda occupatam exprimit: id quod Baeumleinius (*Untersuchungen über die griechischen Modi S. 43*) rectissime exposuit.

Epimetrum.

Praeter Thurotium Herm. Sauppius quoque, vir graecae linguae in primis gnarus, cum in diario Leutschiano nuper inaugurato (*Philologischer Anzeiger MDCCCLXVIIII. S. 2—5*) de commentatione mea comissime iudicaret, nonnullis sententiis a me prolatis contradixit: cuius in plerisque approbationem quo pluris aestimo, eo minus possum quin eius dubitationibus oblata hac scribendi opportunitate respondeam. Ac primum quidem quod particulae ἄν significationem me ita circumscripsisse dicit, ut definitio soli coniunctivo apta esset, idque etiam inde cognosci, quod eam in disputatione demum de coniunctivo exposuerim, id non est ita. Quoniam enim quid inter optativum et optativum cum ἄν coniunctum intersit nemini ignotum est, non opus videbatur cum de optativo dicerem internam rei rationem aperire, verum satius ducebam hunc locum ei disputationis parti quae ad coniunctivum spectat reservare, quia illius modi vim quo pacto additum ἄν immutet difficillimum est enucleare. Ceterum quid ἄν apud optativum secundum eam quam ego sequor explicationem valeret, satis mihi videor in commentatione mea p. 8 exposuisse. Scilicet cum qui illa particula utitur audientes invitet, ut rem verbo significatam tamquam vere factam sibi proponant, id apud optativum quidem hanc vim habet, ut ea quae loquentis modestia tamquam sola imaginatione sumpta praedicavit, audientes non ut ficta sed ut vera suis mentibus adumbrare eoque ad realitatem quae vocatur propius adducere iubeantur. Itaque quod ipse optativus nimis incerti habet, id in hac verborum coniunctione mitigandum atque ita supplendum audientibus relinquitur, ut loquentis timiditatem tamquam corrigant. Scilicet quamcunque particulae ἄν explicationem sequimur, semper id aliquid mirationis movet, quod illa addita optativi vim fortius immutat quam et indicativi et coniunctivi: cui difficultati solvendae ea ratio, quam Sauppius praefert, minus, si quid video, apta est quam mea. Censet enim vir doctissimus eam particulam rem indefinitae condicioni subiectam significare: atqui si res imaginando sumpta condicioni subiicitur, magis non esse quam esse eam indicari videtur, quia dubium est num ipsa condicio veritati respondeat. Quid? quod ne ab ipsa quidem fictione indefinitae condicionis assumptio prorsus aliena est, veluti si germanice quis dicat: *Angenommen, es geschähe unter gewissen Umständen:* unde cognoscitur ex indefinita condicione haud necessario tale vinculum oriri, quod res in imaginatione positas cum realitate quae vocatur contineat. Potissimum autem, id quod iam in priore commentatione dixi, illi explicationi hoc obstat, quod secundum eam nullo pacto intellegi potest qui fiat ut omnibus eis verbi formis, quae voluntatis significationem admixtam habent, ἄν numquam adiiciatur. Cuius rei causa statim elucet, si particulae ea vis tribuitur, ut ad rem propositam mente explendam impellat: id enim a voluntatis significatione prorsus alienum est.

Ea quae praeterea Sauppius mihi obiecit ad singula pertinent. Ac primum quidem illum optativi usum, quo in enuntiatis interrogativis fortiore quadam negandi vi praeditis adhibetur, ne a pedestri quidem Atticorum sermone alienum esse propter locos Platonicos Gorg. 492b, Euthyd. 286b, Menon. 97c statueram. Id negat Sauppius ac Platonis consuetudinem ab Isaei non diversam esse affirmat, quia tam magnus apud eum sit numerus eiusmodi interrogationum *ἄν* cum optativo coniunctum exhibentium: quam quidem opinionem ego libenter amplectar, cum inter hos locos tales proferentur, qui vel vividiorem dictionis colorem, qualis Callicli convenit, vel tantam negandi fiduciam, quanta est in Euthydemi dialogi verbis *ὁ δὲ μὴ λέγων τῷ λέγοντι πῶς ἀντιλέγοι;* vel summam admirationem ei similem, quam in Menone Socrates exprimit (*πῶς λέγεις; ὁ ἀεὶ ἔχων ὀρθὴν δόξαν οὐκ ἀεὶ τυγχάνοι, ἕωσπερ ὀρθὰ δοξάζοι;*), cum necessitate requirunt. Etenim iam significavi Platonis orationem mea sententia magis variatam esse quam oratorum, ut eiusmodi discrimina observare quam corrigendo delere cautius videatur. In universum autem cavendum duco, ne propter nimium grammaticae elegantiae studium in illud incidamus, quod rei metricae tractatoribus Britannicis olim Godofredus Hermannus exprobravit, cum in Elementorum doctrinae metricae praefatione p. XII haec scriberet: 'Sub idem tempus Dawesius, observator valde diligens, metricos aliquot et prosodicos canones, exemplorum, tamquam testium, numero comprobatos, constituit: qui mos secundum plures iudicandi, pauciores autem testes ad emendationem condemnandi, inde mirifice placuit popularibus eius'. De Demosthenis autem loco de cor. §. 22 festinantius me iudicasse supra confessus sum. — Porro quod ad *ἄν* particulae cum indicativo futuri coniunctionem attinet, quam admittendam non esse Sauppius contendit, dubitationem eius ad solum Atticorum sermonem referri arbitror, sed tamen ut ne de hoc quidem ei assentiri possim. Habet enim haec structura validissimum propugnatorem locum Platonis Rep. l. X, p. 615d: *οὐχ ἥκει, οὐδ' ἂν ἥξει δεῦρο*, non solum quia illa reiecta satis facili eum emendandi via caremus, sed quia nulla alia ratio excogitari potest, qua sententia in eo necessaria exprimatur: nam optativus futuri utpote soli orationi obliquae proprius quin in oratione recta cum particula *ἄν* coniunctus adhiberi nequeat, praesertim cum locorum qui sunt Lyc. c. Leocr. §. 15 et Isocr. epist. 2, §. 22 facillima sit correctio*), post praeclaram Madvigii (*Bemm. über einige Punkte der griech. Wortfügungslehre S. 22—29*) de optativi temporibus disputationem paucissimi, ut puto, dubitabunt: in quorum numero etiam Ludovicum Herbstium (*Ueber ἄν beim Futur im Thukydides, Hamburg 1867, S. 26 fgg.*) esse non sine miratione comperi. Quid? quod apposita futuri optativo in oratione obliqua *ἄν* particula et ipsa argumento est in oratione recta indicativum futuri cum *ἄν* coniunctum, ex quo per modi immutationem illa structura fluxit, locum habere potuisse. Etenim quod Lysias in oratione de caede Eratosthenis §. 22 scripsit: *εἰδὼς δ' ἐγὼ ὅτι τηνικαῦτα ἀφιγμένος οὐδὲν ἂν καταλήψοιτο οἴκοι τῶν ἐπιτηδείων, ἐκέλευον συνδειπνεῖν*, id ne dici quidem potuisset, nisi eo de quo sermo est tempore orator hoc fere vel dixisset vel cogitasset: *Σώστρατος οὐδὲν ἂν καταλήψεται οἴκοι τῶν ἐπιτηδείων*: nec magis quod in Xenophontis Cyropaedia VII, 3, 10 de defuncto marito Panthea narrat: *οὐ τοῦτο ἐνενόει, ὅ, τι πείσοιτο, ἀλλὰ τί ἂν ποιήσας σοι χαρίσοιτο*, recte diceretur, nisi ipsius Abradatae sententia haec fuisset: *τί ἂν ποιήσας Κύρῳ χαρίσομαι;* — Postremo quod Sauppius *ἄν* in posteriore membro positum per structuram *ἀπὸ κοινοῦ* in priore quoque intellegi posse negat, iam in superioribus indicavi cur mihi aliter videretur.

*) Mea sententia ne apud Homerum quidem hoc structurae genus admitti potest, quoniam Od. XVII, 547 secundum codices Harleianum et Marcianum M id restituendum videtur, quo similis loci Od. XIX, 558 exemplum ducit: *οὐδέ κέ τις θάνατον καὶ κῆρας ἀλύξει.*